



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

SS. Sulpitius Et Servilianus MM. 20. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

20. April. VITÆ SANCTORUM. 253
grassati, satis docuerunt quam longè
Apellæ omnem humanitatis sensum ab-
jecerint: nam etsi triduo inter tormen-
ta exacto, omnium opem ac commise-
rationem exposceret, eam tamen neque
apud iudicem argento corruptum repe-
rit, inter acerbissimos cruciatus id
unum habiturus solatii, quòd pen-
dens denuum ad exemplum Christi ani-
mam efflavit. Cadaver ejus in spelun-
cam abjectum est, ne à Judæis, sed
feris laniatum credi posset; iusta ni-
hilominus ei Cælum persolvit, mul-
tâ face circum cadaver accensâ, quæ
WERNHERI innocentiam & Judæo-
rum crudelitatem detexit. Ex Surio.

*Ad cælum respice, brevissima hujus vi-
tæ terminum tibi ante oculos pone; & cum
quo de villicatione tuâ rationem ponere de-
beas, sollicitus meditare. Quid enim prode-
rit hodie auro & gemmis contegi, si cras
contingat nudum & reum ad inferni sup-
plicia pertrahi? S. Pet. Damian. l. 7. Ep. 15.*

SS. SULPITIUS ET SERVILIA-
NUS MM. 20. Aprilis.

Rursum te ad nuptias invitamus,
sed (quemadmodum semper factum
est) Agni; quin imò, si lubet, ad
choreas etiam, non quidem ut ducas,
sed ut spectes, simulq. illud etiam fatear-
is, verum dixisse, qui ferè ebrios & insa-
nos

254 VITÆ SANCTORUM. 20. April.
nos saltare dixit. Ecce SULPITIO Euphrosyna, SERVILIANO Theodora despondetur, & Aureliano Consul's filio Domitilba promittitur. Iam quatit Hymenæus faces, jam locus, jam amor ridet, mox lacrymas daturi. Nam intereā Domitilla Euphrosynam & Theodoram familiares suas Christo conciliat; hæ verò eidem sponfos etiam suos, adnitente iterum Domitillâ, dum ejus operâ Christum videt cæcus, & mutus loquitur. At nimirum intereā solus Aurelianus cæcutit, solus hic non sana loquitur. Quin adeò tibicines jam solus conducit, & pede frequenti terram pulsans in exitium suum jam pridem Orcum laborat evocare. Iamque duos omnino dies totidemque noctes assiduâ saltando se exercuerat, cum quiescit tandem morte subitâ prostratus, nec jam ille domum Domitillam, sed illum domum Proserpina ducit. Porro SERVILIANUS & SULPITIUS, firmati his miraculis, non dubitarunt postea pro Deo & castitate cervices præbere securi secandas, rectius capite, quàm Aurelianus pede saltaturi. *Ex gestis SS. Nerei & Achillei apud Sur.*

Debet bene conscia mentis esse lætitia non inconditis comestationibus, non nuptialibus excitata symphoniis; ibi enim intuta verecundia, illecebra suspecta est, ubi comes deliciarum extrema est saltatio, Nemo enim, ut dixit quidam secularium

Do.

20. April. VITÆ SANCTORUM. 259
Doctor, saltat sobrius nisi qui insanit.
S. Ambr. l. 3. de Virg.

S. AGNES POLITIANA V.

20. Aprilis.

NAtale solum AGNETI mons Posi-
titanus est. Quo die in lucem prodiit,
multis vicinus æther facibus stellans il-
lustris vitæ primordia celebravit. Nono
ætatis anno, quo virgines aliæ totæ pen-
dent à matribus, D. Dominici institu-
tum in sacro Parrhenone complectitur.
Quindecim annis pane & aquâ victita-
vit; sæpeque cælesti pluviam, qualis He-
bræis per desertos Arabiæ campos mo-
ventibus annona fuit, inter precandum
est operata. Tres aliquando gemmulas ei
Deipara dono dederat, vaticinata, suæ
honori aliquot ab AGNETI templa con-
stituenda. Iesulum aliàs in sinum ejus
infuderat: cujus è collo crucem eam ab-
straxit, quæ in hæc usque tempora ad
facti memoriam piorumque veneratio-
nem conservatur. Sæpè ab Angelo di-
vinam hostiam accepit. Balneum, quo
valerudinis causâ utebatur, cælesti man-
na instratum eoque loco fons medicâ
salubritate præditus erupit. Et quem
admodum sæpè divinos genios vivens
habebat hospites, ita moriens eosdem
adepta comites, in cælum evolavit,
anno salutis M. CCC. XVII.
MOR.